



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Tertius. Theologiam mysticam secundum hanc summam practicam, diuidi in duas partes, seu modos, scilicet in modum operandi naturaliter, & in modum operandi supernaturaliter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

nem in spiritu edocet.] & est [charitas, secundum quod est singularis quædam *a* amicitia hominis cum Deo.] hinc ergò mystica, seu occulta iure merito dicitur, ac habens arcana, ad sacra pertinens, silentioque veneranda. Cum autem incipientes, & proficientes, aliter Theologiæ mysticæ functiones exerceant, quam perfecti; consequenter dicendum est,

Theologiam mysticam secundum hanc summam practicam, diuidi in duas partes, seu modos, scilicet in modum operandi naturaliter, & in modum operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Duplicem *b* esse Theologorum traditionem, alteram quidem occultam & mysticam: alteram planam, & notio-rem: & illam quidem signis contineri, atque perficiendi vim habere: hanc sapientiæ studiosam esse, & demonstrandi habere vim: atque hanc quidem probare, & confirmare eorum quæ dicuntur, veritatem, illam autem efficere, & collocare in Deo obscuris, & quæ doceri non possunt modis, & instructionibus: non enim more hominum, & medio interiecto, sed purè & sanctè; ac more humano superiore, & efficaciter sua considerat;] non est illa, quam hoc loco intendimus, distinctio. Nostri enim instituti non est; de plana & notiore illa, quæ hodie scholastica dicitur tractare; sed contemplationis diuinæ, ordinatam prosecutionem, ab infimis usque ad supremos huius vitæ status, tradere. Per se autem [Theologia mystica du-

plicem cibum *c* apponit, alterum firmum & stabilem, alterum liquidum, & profluentem; solidum quidem cibum significare arbitror, mentis participem, stabilemque, ac eodem in statu manentem perfectionem; qua diuinarum rerum participes fiunt sensus illi mentis, perstantem, potentem, singularem, indiuiduamque scientiam. Liquidum autem, fluxionem quæ vim habet diffusionis, & foras excurrere studet. Varijsque etiam, ac multis, & diuiduis, eos qui educuntur pro captu & modo suo, ad simplicem, stabilemque Dei scientiam, benignè deducit.] Et ex tali pariter cibo [duplex cordis munditia progignitur; Vna *d* quidem præambula, & dispositiua ad Dei visionem; quæ est depuratio affectuum, ab inordinatis affectionibus. & hæc munditia cordis fit per virtutes, & dona; quæ pertinent ad vim appetitiuam. alia verò munditia cordis est, quæ est quasi completiua, respectu visionis diuinæ. & hæc quidem est munditia mentis depurata à phantasmatis, & erroribus: vt scilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiuntur per modum corporalium phantasmatum.] [diuinis enim viris sacrarum rerum radius, quod spiritali cognatione teneantur, sincerè ac per se, re nulla *e* interiecta collucet, mentisque eorum captum, planè odore perfundit.]

Et secundum hæc, maioris perspicuitatis gratia, totiusque negotij mystici breuitate, summam hanc practicam in duas partes duntaxat, diuidimus; scilicet in modum operandi naturaliter, id est,

a S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 1. c. *b* S. Dion. epist. ad Tit. *c* S. Dion. epist. ad Tit. Pontif. *d* S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 7. c. *e* S. Dion. de Eccl. hierarch. c. 4.

est, cum phantasia, & discursu; & in modum operandi supernaturaliter, id est, cum pura & simplici intelligentia, absque usu phantasiae, & rationis discursu: idque habitualiter per dona intellectus, & maximè sapientiae. Vel, ut solidius dicamus, [duplex a requiritur contemplationis genus, vnum secundum humanum modum, quatenus, etsi fiat cum auxilio ordinario gratiae, adaptatum tamen nostro connaturali operandi modo, utiq; medio discursu praeuio, nec non cooperatione phantasiae: aliud verò supra humanum modum, quatenus nimirum ex specialissimo auxilio gratiae, correspondente dono intellectus, mens eleuatur ad hoc, ut sine praedictis imperfectionibus, pro hoc statu connaturalibus, veritatem quasi nudam contempletur.] & hoc [per gratiam b eleuantè in altiore statum, quamuis status non mutetur viatoris.] Prior ergò modus incipientes, & proficientes complectitur, nam [connaturalis c modus est naturae humanae, ut Deum nõ nisi per speculum creaturarum, & per aenigmata similitudinem percipiat.] secundus verò modus, perfectos respicit, qui [qui spiritalia quasi nuda d veritate vident; supra humanum modum per donum intellectus.] maximè verò per donum sapientiae.

Per hanc verò duplicem distinctionem nolumus contraire ordinariae triplici distinctioni; quae circa incipientes, proficientes, & perfectos solet considerari. (incipientes enim, & proficientes, sub naturali modo operandi, perfectos

autem solos sub supernaturali modo operandi complectimur) sed attendentes maiorem radicationem in charitate, per interna exercitia contemplationis, seu orationis mentalis, inuenimus mysticum quandoq; naturaliter, seu cum usu phantasiae, & rationis discursu, quandoque autem sine illorum admixtione, pura intelligentia, & substantijs separatis conformi modo, per dona intellectus, & sapientiae operari. Iam verò [cum tres gradus charitatis distinguantur, non secundum intensiorem, & maiorem e radicationem in charitate; sed secundum varia studia, & exercitia habentium charitatem incipientium, proficientium & perfectorum:] minus propriè, maiorem radicationem, & perfectionem in charitate respiciunt, ac practicos status secundum naturalem, & supernaturalem modum operandi, non satis distinguunt.

Cum autem de statibus naturaliter operandi incipientium, & proficientium, à quam plurimis copiosè scriptum sit; nos de illis tota prima parte breuiter, & summarie duntaxat tractamus, quo ita mysticus, magis ordinate intelligat, quae fuscè apud alios legerit: at directe vim & operam nostram in statibus modi operandi supernaturaliter, ad facilem intelligentiam collocamus, cum illorum consecutiuus ordo in praxi, non clarè, sed obscure admodum, & vix laboriosè colligi possit ex tot mysticorum libris. Vnde etiam post accuratum, & consecutiuum ordinem mysticorum statuum, in illis contentas infimas, medias, & supremas

A 3 regio-

a S. Thom. in 3. sent. d. 34. quest. 1. a. 2. & disp. 35. q. 2. a. 2. & latè Nic. à Iesu Elucid. p. 2. c. 5.
 b S. Thom. quest. 10. de ment. a. 3. c S. Thom. 3. sent. d. 34. a. 2. q. 1. & d. 35. q. 2. a. 2. d S. Thom.
 ibid. e S. Thom. 2. 2. quest. 24. art. 9.

regiones, magis notabiles, & descriptioni dignas practicè exponimus; pro innumerabilibus autem, & inexplicabilibus momentaneis operationibus (quo ita mysticus in exercitio actus, etiam minutissima quæque intelligere, purgare, illuminare, & perficere possit) fusè, & quoad fieri potuit, dilucidè tractantes. quæ omnia priusquam fiant, maioris perspicuitatis gratia, de ampliori differentia modi operandi naturaliter, & supernaturaliter hic consequenter dicemus,

De varijs quibusdam conditionibus modi tam naturaliter, quam supernaturaliter operandi.

ARTICVLVS QVARTVS.

PRO vtriusque *b* autem modi varijs conditionibus, sciendum erit primò, quod sicut in his duobus modis: [voluntas fertur in finem & absentem, *c* cum ipsum desiderat & præsentem, cum in ipso requiescens, delectatur.] ita etiam vtriusque modi cum Deo vnio, sicut desiderium, & delectatio differat. naturalis enim modus, per proprias actiones incessanter contestatur, quia Deus sit, quem querit anima eius; supernaturalis autem modus, vt iam de obtento, & possessio gaudium excitat. [amor enim facit *d* vnionem, vel effectiue mouens ad desiderandum, & amandū præsentiam amati, quasi sibi conuenientis; (pro incipientibus, & proficientibus) vel formaliter, vt amor amicitiae, qui est talis vnio, vel nexus,] pro perfe-

ctis. [his quidem perfectam & fruitionē vltimi finis habiti, realiter; illis autem imperfectam, & vt plurimum in intentione, tantum tribuendò.] Secundò, quod [limitari ad humanum finem, (scilicet operandi) non sit aliud, quam limitari ad discursum, & rationem; ita tamen, vt ratio per discursum perueniat ad cognoscendum illud, quod intellectus sine discursu cognoscit.] [Intellectus enim & ratio, differunt, quantum ad modum *g* cognoscendi; quia scilicet intellectus cognoscit simplici intuitu; ratio verò discurrendo de vno ad aliud.] Tertiò, quod incipientes & proficientes, aliquando per accidens, ad modum operandi supernaturaliter pertingere valeant, ac etiam ad actus infusos *h* recipiendos, capaces sint. Quartò, quod [impediatur actus *i* cõtemplationis, (in quo essentialiter est vita contemplatiua) & per vehementiam passionum, per quã abstrahitur intentio anime, ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus exteriores:] quo ad vsque per virtutes morales impediatur vehementia passionū, & sedetur exteriorum occupationum tumultus. Quintò, quod quamdiu vt plurimum, & ordinariè mysticus procedit secundum rationis discursum, ad naturalem statum redigatur, vel incipientium, vel proficientium: quando verò ordinariè vt plurimum, sub vno intelligentiæ radio operatur, ad supernaturalem modum maioris radicationis in charitate referatur. Sextò, quod hi duo modi, ita inter se differant, sicut vmbra,

a &

a infra 2. p. para. 6. & 9. & 2. p. dec. 6. & 9. *b* vt latius inf. 2. par. Dec. 1. *c* S. Th. 1. 2. q. 3. a. 4. c. d. S. Thom. 1. 2. q. 28. a. 1. c. *e* S. Thom. 2. 2. q. 24. a. 9. c. & q. 11. a. 4. c. *f* 1. 2. q. 68. a. 2. *g* S. Thom. de Intell. & Intellig. opusc. 53. *h* & infra decis. 10. a. 5. *i* S. Thom. 2. 2. quest. 180. a. 4. c.